

prælio capta dicerentur. Nec Sforcia interim & Picininus 1427
 quievire; sed cum iis, qui ex acie secum fugerant, Veneto commeatus intercipere, pabulatoribus, & iis qui castra frequentabant, omnia infesta reddere. Tentavit ad hæc Picininus Pontolium noctu recipere: res tamen frustra tentata est. Perijt in ea expeditione Brixianus Centurio multi nominis, a Pontolianis incolis interceptus. Nec Philippus, cum res suas in discrimen maximum adductas videret, destitit interim omnia moliri, quibus Veneto victoriæ cursum impediret: & a Sigismundo Imperatore, suo olim non minus quam Venetorum hoste, auxilium imploravit: ac per oratores egit, ut Brunorium Scalam cum exercitu in Italiam adversus Venetos mitteret. Cum Amadeo Allobrogum Duce, Vercellis datis, non solum fœdus, sed affinitatem etiam contraxit, ejus filia in conjugem ducta, a cujus congressu post primos toros pertinacissime abstinuit. A Martino quoque Romano Pontifice petiit, ut quibuscunque posset conditionibus tentaret Florentinos a Venetorum societate avertere. Sed quantum hac via Philippus res suas erigere conatus est, tantum adversa fortuna ductorum quorundam morte depresso, paucis diebus Angelo Pergulensi fatali morte extincto, & cum eo Fabricio Campano, ac plerisque aliis viris illustribus, qui continuatis propemodum funeribus brevi interiere. Tum demum novissima hac suorum clade affectus, ad pacem Vicecomes inclinavit. 1428
 Res pontificii Legati interventu Ferrariæ aliquandiu agitata est, paxque his conditionibus Philippo reddita: ut Brixiam cum suis finibus, ac Bergomum cum ea parte agri, quæ ad Abduam spectat, Venetus haberet: castella ad hæc quæcunque cum ipso agro in Cremonensi ad eam diem occupavit: Florentinis nihil additum, nisi ut propria signa triremibus præfigere liceret, quum prius ex fœdere cum Genuensibus icto Pisana habere consuevissent. Cautum Ferrariensi, Mantuano, Palvisino, Monferrateni, & Florentinorum nomine Senensibus fociis, nec non Ligusticæ oræ, quæ ad ortum spe-

Pax tandem secuta.